

DILECTO FILIO ERASMO ROTEROD. SA
CRAE THEOLOGIAE PROFESSORI.

A S
LEO, P P X.

DILECTE fili Salutem, & apostolicam beñ. Valde nos delectarunt lucubrationes tuæ in testamentū nouū iam pridem æditæ, non tam quia nostro nomini dicatæ fuerant, q̃p̃ quod non uulgari, sed noua & insigni quadā eruditione præstabant, omniūq̃ doctorū calculo plurimū laudabant. Quas nuper à te recognitas, & pluribus additis annotationibus locupletatas, illustratāsq̃ fuisse certiores facti, nō mediocriter gauisi fuimus, ex prima illa æditione, quæ absolutissima uidebatur, coniecturā facientes, qualis hæc futura, quātūm uic boni, sacre Theologiae studiosis, ac orthodoxæ fidei nostræ sit allatura. Macte igit̃ istius animi tui esto, ac publicæ utilitati studēs, operi tam sancto, ut in lucē exeat, sedulo inuigila, dignā quidē tot laborū mercedē ab ipso deo relaturus: à nobis uero meritā cōmendationē, & cūctis Christusfidelibus perpetuā laudē cōsecuturus. Datū Romæ apud sanctū Petrū, Sub annulo piscatoris. Die X. Septē. M. D. XVIII. Pontificatus nostri Anno Sexto. Euangelista.

